



Disputatio juridica inauguralis de pactis inter emptorem & venditorem compositis

<https://hdl.handle.net/1874/345775>

DISPUTATIO JURIDICA
IN AUGUSTA LENS,
D E

Pactis inter emptorem & Ven-
ditorem compositis.

Q V A M,
AUSPICE DEO OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiae Doctoris, & Linguae Sanctae in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicorum consensu, & Nobilissima

Facultatis JURIDICÆ Decretò,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis.

Eruditorum Examini subjicit

JOAN VROESEN, Rotterd.-Batavus.
Ad diem 27. APRILIS, hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academæ
Typographi, clc IOC XCIII.

*CLARISSIMO
VIRO,
D. ADRIANO
VROESEN,*
Civitatis Rotterodamensis
Ex-consuli, Parenti suo fi-
liali amore in æternum pro-
sequendo.



*Hanc disputationem inauguralem
sacram facit*

JOAN VROESEN.

Auctor & Respondens

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

D E

Pactis inter Emptorem & Ven-
ditorem initis.

C A P U T I.

De Pacto de retrovendendo.

I.



E pactis inter & emptorem & venditorem
disputaturi primo loco agemus de Pacto de
retrovendendo, quod est pactum quo ven-
ditor sibi reservat jus eam rem sibi redi-
mendi, vel simpliciter omni tempore quo
voluerit, vel intra certum tempus adje-
ctum. l. 2. Cod. de pact. inter emps. & vend.
composit.

II.

Ut autem accuratius intelligatur natura hujus pacti videamus
d. l. in qua satis accurate de eo agitur, cujus verba sic se habent.

*Si fundum parentes tui ea lege vendiderint, ut sive ipsi, sive heredes
eorum emptori pretium quandocunque vel intra certa tempora obtulerint,
restitueretur, teque parato satisfacere conditioni dictae, heres emptoris non
paret, ut contractus fides servetur, actio prae scriptis verbis vel ex vendito
tibi dabiur, habita ratione eorum, que post oblatam ex pacto quantita-
tom ex eo fundo ad adversarium pervenerunt.*

Casus legis talis est, fundus venditus est ea lege id est *eo pacto*,
ut sive venditor, sive heredes ejus pretium fundi quandocun-
que, vel intra certum tempus emptori obtulissent, fundus resti-
tueretur, & ut emptor retro cogeretur eum fundum vendere
venditori suo.

III.

Ea lege id est pacto : quæritur jam an hæc conventio ita servanda sit, ut ex eo detur actio? Resp. affirmando; ut *contratulus fides servetur*, quemadmodum hic dicitur, 1. quia hæc conventio incontinenti est adjecta venditioni, nam nominatim fundus venditus proponitur, hoc pacto interposito ut fundus quandoque restitueretur, jam autem est certi juris quod pacta incontinenti adjecta contractibus b. f. pariant actionem. *l. 7. G. §. quinimo ff. de pact.* Præterquam quod hæc conventio non sit simplex, sed præter conventionem vendor dedit ut vicissim acciperet, nam dedit fundum ea lege, ut fundus sibi quandoque restitueretur, jam autem quotiescumque tibi do ut des vel facias, vel facio ut des vel facias toties negotium civile geritur, ex quo oritur civilis actio, si non nominata saltem innominata vel præscriptis verbis: nullum ergo est dubium, quin ex hac conventione jure civili actio nascatur.

IV.

Cum dixerimus ex hac lege competere actionem, quæritur qualis illa sit? Resp. ex ipso rescripto, erit aut præscriptis verbitur actio, aut ex vendito. Videamus 1. de actione ex vendito, ratio dubitandi hæc est, si venditori competenteret actio ex vendito, deberet ipsi competere vel rescissa venditione, vel manente venditione, atqui neutrum dici: ergo &c. Quod autem rescissa venditione ipsi non possit competere actio videtur posse probari ex eo, quod ubi nulla est emptio; ibi etiam nulla ex emptione possit esse actio; Atqui rescissa venditione nulla est emptio. Ergo nec actio. Si vero dicatur competere actionem ad rescindendam venditionem manente emptione, hoc etiam videtur esse, falsum, quia actio empti semper datur ad confirmandum non vero ad infirmandum contractum. Resp. Verum esse actionem ex vendito neque rescissa venditione competere, neque ad rescindendam venditionem, sed in proposita specie hæc non sunt metuenda; nam conventio quæ hic proponitur est pars emptio-nis contractæ, ea conventione manente agitur ad eandem confirmandam, ergo verum est in proposito actionem dari manente parte venditionis, de qua agitur, & agi ad eam partem confirmandam. Neque verum est quod objiciebamus quod hic agatur rescissa

rescissa venditione, nam manet adhuc tota venditio quo tempore agitur ad restituendum fundum, & si tota non maneret, manet saltem haec conventio, & ex hac agitur, ut ipsa confirmetur: nec obstat quod haec conventio pertineat ad rescindendam venditionem, quia hoc tantum est per consequentiam, nam principalis intentio est ut conventio servetur.

V.

Datur venditori non tantum actio ex vendito, sed etiam praescriptis verbis utriusque maluerit. Actio praescriptis verbis est, quae praescriptis verbis rem monstrat hoc est, quando hac actione agitur, tunc scriptis ante verbis factum & res gesta narratur, iis autem verbis subjicitur nuda petitio, sine ullo nomine actionis, unde dicitur hic agi praescriptis, id est ante scriptis in factum verbis. Differt haec actio a ceteris vulgaribus, quod ceterae actiones suum nomen habeant; & non nisi nomine expresso intendantur, ut colligitur ex l. 1. ff. si mens. fals. mod. dixer. Sed actio praescriptis verbis tantum nudam habet petitionem facti narrationi praecedenti convenientem.

V I.

Sed jam videndum est quamodo haec actio possit competere cum detur actio ex vendito contra l. 1. 2. & 3. m. de pref. verb. Ubi dicitur, quod nunquam detur actio praescriptis verbis, quando actiones ordinariae & nominatae competunt. Resp. singulare jus esse in specie hic proposita & similibus, ut haec actiones concurrant, nempe quoties venditio contrahitur ea lege ut vel vendor rem suam recipere possit, vel emptor pretium. De priori conventione hic est exemplum & in l. 4. m. de leg. Comiss. De posteriore in, l. si convenit m. de rescind. vend. ratio hujus juris haec est, quia in conventione hic proposita, & similibus ad rescindendam venditionem spectantibus ab initio ex sententia Veterum Juris Auctorum fuit admissa actio praescriptis verbis, l. 12. m. pref. verb. Ubi Proculus Antiquus JCtus in specie hujus rescripi dat solum actionem in factum venditori ad fundum suum recipientum, ubi in factum dicitur actio praescriptis verbis, nam quae actio dicitur l. m. pref. verb. in factum ea seqq. LL. apertius dicitur actio praescriptis verbis. l. 2. & 3. eod. Quoties jam dubitatur an certa aliqua actio competit toties praescriptis verbis agitur,

DISPUTATIO JURIDICA

non minus quam si constet nullam actionem esse. *I. i. m. de A.*
stim. Erant quidam ex Veteribus, qui in ejusmodi conventione
actionem ex vendito competere putarent, ut ostenditur in *I. 6.*
§. 1. m. de contrab. empl. Ubi aperte Pomponius dat actionem
ex vendito, sed alii, ut dixi, dissentiebant, & res erat incerti juris,
sed tandem quæstio decisa est, & obtinuit actionem in proposito
ex vendito recte dari; idque effectum est in Lege Commissoriæ
rescripto Severi & Antonini. *I. 4. m. de leg. Commis.* hoc
secutus est Alexander Imperator in conventione simili hic Propo-
sita, & recte, quia hæc conventio est pars emptionis, ac propte-
rea qui agit ad hanc conventionem confirmandam, agit ad con-
firmandam ipsam emptionem, non vero ad rescindendam: hac
actione ex vendito tandem receptâ, nihilominus mansit actio præ-
scriptis verbis, quæ hic ante certò dabatur. Constat ergo in
proposito has duas actiones venditori competere ad fundum re-
penendum, quarum utraque est in personam, quoniam datur ad-
versus eum, qui ex contractu nobis est obligatus, quod est pro-
prium actionum personalium *I. actionum m. de O. & A.*

VII.

Quæritur quando hæc actiones venditori competant. Resp.
ex ipso rescripto, tunc quando vendor, vel hæredes ejus pecu-
niam obtulere, nam post oblationem pecuniae fit mora, ut po-
stea suo loco dicemus, si mora, consequens est fundum peti pos-
se, nam ubi nulla petitio id est nullum jus petendi, ibi nulla
mora intelligitur. *I. 88. m. de R. 7.*

VIII.

Quæritur quamdiu in specie proposita hæc actiones compe-
tant? Resp. si conventio hæc sit ut fundus restituatur quan-
docunque pecunia oblata erit, perpetuo actiones debentur, sed
ita ut meminerimus non excurrere ultra 30 annos juxta modum
præscriptum in *I. 3. & 4. Cod. de Praesc. 30. vel 40. annor.* si autem
hæc conventio erit, si vendor intra certum tempus obtulerit,
nisi intra id tempus obtulerit, nulla amplius futura est actio,
quia restitutio promissa est sub conditione, si pecunia offerretur,
quicquid autem sub conditione promittitur deficiente conditio-
ne non debetur.

IX. Quæ-

IX.

Quæritur quibus hæc actiones dentur. Resp. conformat ex rescripto venditori & hæc redibus dari, quia conventio ita proponitur ut vendor nominatum de se & hæredibus suis caveat, cum Donello.

X.

Sed jam videndum est an in proposito hæc actiones emptore mortuo etiam dentur adversus ejus hæredes, ita ut hæredibus quoque pretium rectè offerri possit ex conditione conventionis propositæ. Resp. ex rescripto affirmando quod sic accipendum est ut possit offerri tribus casibus. 1. Si nominatum de emptore ejusque hæredibus convenerit. 2. Si simpliciter convenerit ut fundus restitueretur, si vendor hæredesve ejus pretium offerrent nulla mentione facta cui offerant. 3. Quod dicitur in hoc rescripto si convenerit ut fundus restituatur si vendor hæredes ve ejus pretium emptori obtulissent, ex iis verbis, placet etiam in persona hæredum huic conventioni pareri posse: hi hæredes tantum tenentur pro portione hæreditaria, & si unus ex hæredibus totum hunc fundum possideat non tenetur oblatio pretio restituere, quia actio personalis inter hæredes dividitur.

X I.

Quæritur quid in hanc actionem veniat. Resp. id expressum est in extremo rescripti, ubi dicitur pretio oblatō non tantum fundum restitui debere ab emptore ejusque hæredibus, sed etiam omnia, quæ post oblatam pecuniam ad emptorem, vel ejus hæredes pervenerunt; fructus vero quos emptor percepit ante oblationem, pleno Jure acquisivit, & irrevocabiliter suos fecit, quia dominium rei venditæ in ipsum esset translatum, cujus commoda ad emptorem pertinent, quæ post conventionem contigerunt.

l. 1. m. de Peric. & commod. rei vend.

X I I.

Quæritur cur idem non obtineat post oblationem? nam oblationio non est modus transferendi dominii. Resp. quia in B. F. iudiciis aliquis constituitur in mora per oblationem, ex qua mora in iisdem iudiciis debentur fructus, nam hæc oblatio interpellationem habet, per quam aliquis constituitur in mora. *l. 32. mora in pr. & de usur.*

C A-

8 DISPUTATIO JURIDICA

C A P U T I I.

De Pacto Juris προτίμως.

I.

Pactum Juris προτίμως est, quo venditor idem pretium emptori solvens, quod alius solveret, aliis præfertur, re iterum vendita ab emptore. *l. 74. de contr. emt.* Nostrates de cius het regt van naestingh, item voorkoop; hoc jus etiam vocatur jus retractus, sed postremis Feudorum Constitutionibus vocatum fuit jus προτίμως, à græco verbo προτίμω, quo denotatur prælatio.

II.

Alius est retractus, qui vocatur legalis, sive consuetudinarius, isque varius secundum varietatem locorum, qualis est, qui competit absque conventione ex dispositione legis tale jus competit domino in Emphyteusi. *l. fin. Cod. de Jur. Emphyt. vid. Neostad. Infti. Cur. Holland. decis. 39. Christin. vol. 3. decis. 133.* Competit etiam vicino, cui permittitur interdum retrahere rem venditam alicui non vicino; quo casu si sit vendita res vicina unà cum alia non vicina ab eodem domino uno pretio, licet nihilominus vicino rem vicinam tantum retrahere, ad quam solam jus habet, & relinquere non vicinam: item ratione crediti competit retractus. *l. 16. & dreb. aut. jud. possid.* item inter socios, quo socio, vel consorti id Juris est, ut rem communem venditam extraneo, pro parte ejus, qui vendidit, retrahat.

III.

Alius est retractus Gentilitius seu consanguinitatis, quo proximi consanguineis competit jus rertahendi rem extra familiam alienatam, quod jus introductum est per Constitutionem Imperatoris Frederici, quæ exstat *Lib. 5. Feud. tit. 13.*

IV.

Hoc jus videtur inhærere vestigiis Juris scripti, ut videre est in *l. 35. & de minorib. l. 60. de pact. l. 62. & de contrah. empt.* tandem etiam Frederici imperatoris Constitutione de Jure προτίμως. *Lib. 5. Feud. cap. 13.* corroboratum est, nec improbat Jure Canonum

num. cap. constitutus 8. Extra de res. intreg., & licet jure Codicis videri possit improbari, quod repugnet libertati disponendi de re suâ pro arbitrio, à Jure concessâ, & relinquendi penes eum, cui vendita est. l. dudum Cod. de contrah. empt. potuit tamen illud immutari consuetudine citra ullam iniquitatis speciem, ne scilicet paternæ domus, & antiqua Majorum præcta in alienas manus deveniant quod satis lingubre. l. 35. & de minorib. l. 22. Cod. de admiss. tit. & sordidae stirpes summo cum Reipublice datum, splendidis & ingenuis natalibus surrogentur. l. 9. Cod. de quest.

V.

Cum ergo hoc jus hac in re respiciat favorem familie & eorum, qui sunt de sanguine, ut locum habere possit, requiritur primo ut retrahens sit ex verâ & naturali cognitione ejus, qui vendidit, civilis autem cognatio hic non consideratur, quia tum foret in arbitrio alicujus arrogando fraudare eos, qui sunt de genere, & jus illis competens ad extraneos transferre, ut optime tradit Joan. Fab. Inst. de acq. per arrogat. §. 1. n. 7. & Tiraq. hic p. 1. gl. 8. num. 16.

V I.

Requiritur 2. ut res patrimonialis, quam aliquæ consuetudines volunt esse avitam, quæ longo tempore in familia remanserit, non etiam quæ recenter acquisita: aliae vero etiam admittunt retractum in re, quæ non sit avita, sed a consanguineo aliquo acquisita & vendita, ita ut hac in re sequendus sit mos loci.

V I I.

Cum dixerimus requiri ut res sic patrimonialis, queritur quid Juris sit si plures res vendantur, quarum aliquæ essent patrimoniales, aliquæ non, sed alterius ordinis? Resp. Consanguineum tamen ad solam rem patrimonialem esse admittendum, quia ad eam solam jus habet, nam alias contingeret plures res simul vendi in detrimentum proximi, cui vel non esset facultas redimendi omnes, vel qui alias judicaret inutiles, atque ita facto contrahentium possit illi jus suum impediri, quod non est permittendum. Gomez. ad d. l. 70. num. 15.

V I I I.

Requiritur etiam ut res sit immobilis, nam in mobilibus non datur locus retractui; hinc dubitabatur de insulis natantibus,

B

quales

10 DISPUTATIO JURIDICA

quales videre est prope oppidum S. Andomari, & alibi alias esse memorant historiae, ut tradit Tiraquel. d.p.s. §. 1. gl. 7. num. 121. putamus dicendum & eas retractui obnoxias esse.

IX.

Deinde requiritur ut retrahere volens justum & integrum premium offerat & solvat. arg. l. 4. §. 1. π. de re jud. Traq. de retract. gentil. §. 3. Gloss. 3. num. 14. & seq. Quod, ne dolosus licitor æquo majus inferat in cum finem ut retrahentem à redemptione deterreat, si non de vero pretio aliunde constare possit, juramento confirmare tenebitur, sincere rem agi, seque non dolose ad excludendum consanguineum, aliumve, cui jus *mpolimnoe* competit, majus premium offerre Andr. Gail. l. 2. observ. 79. num. 10. Boëz. Decis. Burdeg. 43. in Foro Saxonico decisum refert idem Caprpszov. part. 2. Const. 37. det. 2.

X.

Præterea requiritur ut sibi, suâ propriâ pecunniâ, &c in proprium suum usum, neutquam in utilitatem alterius, & emptoris fraudem retrahat, quod jurejurando ipsi ab emptore delato confirmare tenebitur. arg. l. 5. §. 14. π. de nov. op. nunc. l. 13. §. 2. π. de danni. infert. Damhoud. prax. civil. cap. 265. num. 14. 15. Traq. de Retract. Gent. §. 5. Gloss. 1. num. 1. Andr. Gail. lib. 2. observ. 19. n. 10. Quod & moribus Hollandiae convenit, quibus illud statuto expressum, & passim receptum est. Statut. Rhend. art. 29. Grot. Introd. lib. 3. cap. 16. vers. des gevergt zijnde.

XI.

His omnibus prærequisitis, competit jus gentilitii retractus consanguineo venditoris proximiori secundum ordinem ab intestato succedendi; sic ut, qui proximior sit in successione, præferatur in retractu. Traq. de Retract. Gent. §. 1. Gloss. 8. & 9. Gravell. decis. 48. & si plures ejusdem gradus sint, omnes admittentur. arg. §. ult. inst. de legat. aquat. success. Gomez. ad l. Tauri. 70. num. 13. Quod si aliqui velint, aliqui vero nolint, horum pars illis accresciri. arg. l. cincio. §. 11. Cod. de Caduc. tollend. Si plures simul retrahant, inter se dividunt, si res divisionem patiatur, si non, sorte dirimenda est. arg. l. 13. & 14. π. de jud. Reinking. d. quest. 2. n. 84. & seq.

B

XII. Re-

X I I.

Retractū ita debitē instituto pretioque cum omnibus expensis & meliorationibus oblato tenetur emptor rem restituere una cum suis accessionibus & fructibus adhuc pendentibus , qui pars rei esse censentur l. 44. *m. de rei vind.* ut &c iis , quos post motam controversiam percepit. arg. l. 25. §. 7. *m. de petit. bared.* l. 10. *Cod. de long. temp. pref.* aut quos percipere potuisset. l. 33. l. 62. §. 1. *m. de Dei vind.* l. 5. *Cod. eod.* perceptos autem sive eos consumperit , sive non , restituere non cogitur , quos pendente tempore , quo non retraxit proximior , indistincte suos facit , & jure dominini lucratur in compensationem usurarum pretii soluti. l. 42. *m. de usur.* idque emptionis jure. l. 7. 8. *m. do peric.* & *commod. rei vend.* l. 1. t. *Cod. eod.* quæ ex causa retractus propriè non recidit ad non emptionem , sed potius nova quædam emptio inducitur , postquam medio tempore prior plenum habuit effectum vid. Remknigh. *de retract.* quæst. 8. n. 1. 7. & 69. Georg. Tholosan. Syntagm. *jur.* l. 26. cap. 21. n. 6.

C A P U T . III.

De additione indiem.

I.

Inter alia approbatum est pactum addictionis in diem. Addicere secundum Festum est idem dicere: ut Praetor exequendo , & approbando , ac eandem quasi , quam Judex datus ante tulerat , sententiam dicendo rem addicit ei , secundum quem fuit pronunciatum. Hoc verbum post translatum est ad auctiones publicas , ubi pluribus ementibus non statim perficitur venditio , sed post certum tempus puta 30. dierum , addicitur illi , qui plus licitatus est. l. 4. & tot. tit. *Cod. de fid. ult.* & *Jur. hast. fiso.* nam licitatores ex sua oblatione singuli obligantur , nisi alias quispiam postea meliorem conditionem obtulerit. Bart. in l. locatio 9. n. 4. *de publica* hæc res postea à publicis hastis ad venditiones privatas reducta est , cum ita res venditur ut non statim addicatur , sed servetur futuris licitatoribus certum tempus , ut meliorem conditionem afferre possint. Ita venditio quidem statim contrahitur ,

sed addic^{tio} fit in diem : hoc est differtur in certum tempus rei datio , ut interea meliorem conditionem alius offerat. Addicere enim etiam dare significat. Cujac. lib. observ. 4. cap. 15.

III.

Addic^{tio} in diem est pactum quo inter emptorem & venditorem hoc agitur , ut venditori intra certum diem rem venditam alii emptori meliorem conditionem offerenti addicere liceat. Formula addictionis refertur in l. i. b. t. his verbis: *Ille fundus , centum esto tibi emptus nisi quis intra Kalendas Januarias proximas meliorem conditionem fecerit , quo res a domino abeat.*

III.

Hujus addictionis duæ sunt species , vel enim fit sub conditio ne resolutiva , vel sub conditione suspensiva ; sub conditione resolutiva fit , quando emptio ab initio pure contrahitur , sed pacto adjecto hoc agitur ut meliore conditione oblata discedatur ab emptione ejus formula talis erat: *Hic fundus tibi esto inemptus , si intra Kalendas Januarias melior conditio offeratur :* & hoc casu emptio est pura , sed resolvitur sub conditione , hinc sequitur quod emptor statim factus sit dominus , & talis habeatur , quamdiu non offeratur melior conditio. l. 4. §. 3. π. b. t. medio igitur tempore omne commodum & incommodum pertinet ad emptorem. l. 2. §. 1. l. 4. §. 4. b. t. qui potest oppignorare. l. 4. §. 3. b. t. vindicare l. 4t. π. de rei vind. & deficiente conditione omnia rata manent , omnes fructus & accessiones lucratur. l. 6. b. t. quando autem conditio existit emptio resolvitur. l. 2. in pr. l. 9. b. t. etiam resolvitur ipso Jure pignus l. 4. §. 3. b. t. & emptor tenetur omnes fructus venditori , non secundo emptori restituere. l. 4. §. 4. l. 6. l. 16. b. t. venditor contra tenetur restituere impensas. S. l. 16. b. t.

IV.

Sub conditione suspensiva hoc agitur ut nisi intra certum tempus conditio melior offeratur , emptio perficiatur , & ejus formula erat: *Ille fundus esto tibi emptus aureis tot , nisi intra Kalendas Januarias melior conditio offeratur.* hoc casu pendente conditione etiam ipsa venditio est in pendentia l. 7. π. de contra l. empt. venditor , ergo dominus manet , & ejus sunt commoda & incommoda rei venditæ l. 4. b. t. Ubi autem conditio existit & melior non offertur ,

tum

tum venditio censetur esse retrovendita, ita ut emptor ex tempore contractus dominium, fructus, & omnia commoda acquisivisse videatur. *l. 8. n. de peric. & commod. rei vend.* *l. 11. §. 1. n. qui pot. sunt in pign.*

Sed ut additio possit sortiri effectum requiritur 1. ut melior offeratur conditio. *l. 4. §. 5. b. t.* quæ melior dicitur vel ex pretii quantitate, vel ex solutionis loco vel tempore, vel personæ qualitate, vel onerum priorum remissione. *l. 4. §. ult. l. 5. b. t.* cum quibus jungenda est. *l. 45. §. 2. eod.* 2. Ut vendor prior rem emptorem certiore faciat melioris conditionis oblatæ, nam prior emptor potest adjicere quod novus emptor adjecit, atque ita huic præferri. *l. 6. §. jnr. l. 7. & 8. b. t.* quod autem in *l. 7.* dicatur priorem emptorem debere plus adjicere, illud (*plus*) non est referendum ad posteriorem emptorem, sufficit enim ut tantumdem adjiciat, sed ad prius pretium.

C A P U T I V.

De lege Commissoria.

I.

Est & receptum pactum, ut si pretium non solvatur intra certum diem res sit inempta, quod vulgo vocant legis commissoriae: propriè dicendum pactum commissorium, vel lex commissoria quod lex ista sit pactio quædam contractui addita, legem illi dans, vel venditio commissoria. *l. 4. Cod. de pact. int. empt. & vend. comp.* & dicitur commissoria quia emptor pretium non solvens quasi committit in hoc pactum: lex illa seu conventionem committit emptionem arbitrio vendoris, utrum cam ratam an irritam habere velit.

II.

Emptio, quæ sub lege Commissoria fit, pura est, non conditionalis, nam conditio non adjicitur, venditioni, sed ejus dissolutioni ut docet Ulpianus in *l. 1. b. t.* hinc sequitur, quod pendente conditione emptor rei traditæ fiat dominus, & fructus suo Jure percipiat. *l. 5. b. t. l. 31. n. de Acq. rei dom.* etiam ejus periculo sit rei intercitus.

III. Exi.

I I I.

Existente autem conditione, id est si emptor statuto die pretium non solvat, resolvitur contractus, & res redit ad venditorem, amissio eo quod arrarum aut alio nomine datum est, quod penes venditorem manet l. 6. b. t. ita tamen redit, si vendor velit rem inemptam esse l. 2. & 3. b. t. quia illud est in arbitrio vendoris, qui potest, eo beneficio non uti; etiam fructus restituere tenetur emptor l. 5. b. t. cum resolvatur contractus, ac habeatur quasi non initus: potest etiam vendor agere in emptorem, si ejus facto fundus factus sit deterior.

I V.

Quæritur an requiratur retrotraditio ut res redeat ad venditorem in supradicto easu. Resp. quod non, juxta l. 1. Cod. de part. int. empt. & vend. comp. Ubi non soluto ad diem pretio, dicitur res pertinere ad venditorem; huc facit ipsa formula legis commissoriae (pecuniā non soluta ad diem res sit inempta) cuius hæc vis est, ut vendor hoc ipso fiat dominus, illique competit rei vindicatio, & ratio est, quod vi istius legis res ita redeat ad venditorem quasi non fuisset unquam penes emptorem.

V.

Cæterum ut lex commissoria locum habeat non præcise requiritur ut solutioni certus dies adjiciatur, nam etiam die non adjecto ea celebrari potest. Quando autem certus dies adjectus est, locus est huic legi si emptor statuto die pretium non solverit. l. 4. §. fin. b. t. dies enim interpellat pro homine. l. 12. de Committ. & contrab. stip. Quod si sine die lex commissora celebrata sit, ut nisi pretium solvatur res sit inempta, emptor post modicum tempus arbitrio Judicis definiendum per interpellationem constituitur in mora arg. l. 33. de O. & A.

V I.

Qui tamen effectus potest cessare, his casibus 1. si emptor iusta causa impeditus non solverit pretium, veluti si vendor absit. l. 4. §. fin. b. t. aut si a fisco ei denunciatum sit ne solvat. l. ult. b. t. 2. si vendor à sua parte non impleverit ea, quæ ex natura contractus aut conventionis facere debebat l. ult. §. 1. de ref. vend. 3. si vendor beneficio hujus legis renunciaverit, vendor enim statim, cum lex est commissa, debet declarare, utrum

com-

commissoriam exercere velit, an pretium petere, nec uno electo potest ad aliud recurrere. *d. l. 4. §. 2.* quod potest fieri verbis, cum hoc palam pronunciaverit; vel factis, *i.* si statim suo Jure non utatur. *l. 4. §. 1. b. t.* *2.* si petat pretium. *l. 7. b. t.* vel etiam pretium oblatum accipiat. *l. 6. §. ult. b. t.* ratio est quia pretium non potest peti aut accipi nisi subsistat emptio.

VII.

Huic pacto interdum aliud pactum adjungi solet, nempe ut pre-
tio dicto die non soluto res non tantum sit inempta, sed etiam
empor p̄f̄stet, quanti minoris venditor eandem rem alteri vē-
diderit. *l. 4. §. 3. b. t.* atque hæc de pactis emptioni vulgo adjici
solitis dicta sufficient.

IV.

COROLLARIA.

BINIUS

I.

In mutuo est alienatio.

II.

*Dolus dans causam contractui bona fidei reddit
eum ipso jure nullum.*

III.

*Quarela inofficii testamenti non est remedium
pr̄paratorium, sed est ipsa hereditatis
petitio.*

IV. Si

II. 21. I. V. Q U A N T U M

*Si reus in estimationem condemnandus sit, cu-
jus temporis estimatio spectanda? disting. ex
l. 22. ff. de reb. cred. junct. l. 3. §.
2. ff. commod.*

V.

*Usura in stricti juris Judiciis non nisi per sti-
pulationem debentur.*

V I.

*Aliud pro alio invito creditor i solvi ne-
quit.*

F I N I S.

2. VI

